



# DISSERTATIO HISTORICA

DE

## EPISCOPATV BVRABVRGENSI

*In Hassia.*

§. I.



Onifacium gente Anglum Hassorum  
vulgo vocari Apostolum, neminem  
fore puto, qui ignoret, cum id pas-  
sim & vetera & nova testentur monu-  
menta. Nec forte injuria: si genium  
antiquorum seculorum & Majorum  
nostrorum fandi consuetudinem no-  
bis in memoriam revocamus, quibus  
nihil frequentius, nihil sanctius esse videbatur, quam illos  
Doctores Apostolorum nomine exornare, qui in converten-  
dis patriae suae incolis singularem & praecipuam praestite-  
rant operam. Hinc est quod Saxonum Apostolus vocetur  
Ansgarius; Noricorum, Severinus; Bojorum, Emmeranus;  
Francorum Orientalium, Kilianus; Tungrorum, Servatius;  
Pomeranorum, Otto Bambergensis; &c. quoniam prae ce-  
teris aliis christiana dogmata in his oris explicaverant. Cum  
ergo idem beneficium Atavis nostris exhibuisse dicatur Bo-

A 2

nifa-